INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXIX—MDCCCLXL

A DIE XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXIX AD DIEM XV. M. MARTII MDCCCLXL

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INEST

GUILELMI DITTENBERGERI

COMMENTATIO DE THUCYDIDIS LOCO AD ANTIQUITATES SACRAS SPECTANTE.

HALIS

FORMIS GEBAUERO-SCHWETSCHKEIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
EDUARDUS HILLER
CUM SENATU
S. D.
CIVIBUS SUIS.

Testimonia scriptorum veterum de sacrorum ritibus caerimoniisque ne nunc quidem omnia recte intellegi non est quod miremur. Nam illi, quum longe aliis rebus intenti essent, data occasione rerum quas omnibus lectoribus a prima pueritia notas esse sciebant mentionem faciebant paucis verbis, quae obscura videri necesse est eis qui non iam aliunde quid rei sit cognitum habent. Quod si forte accidit, ut nulla alia eiusdem rei memoria ad nostram aetatem pervenerit, de scriptoris loco recte interpretando fere desperandum est. At ne illic quidem, ubi adhuc facultas data est veri perspiciendi, hoc ubique assecuta est hominum doctorum sedulitas, ac praecipue quidem ea de causa, quod editoribus plerumque talia, quae a principali librorum quos tractabant argumento remotiora erant, accuratius per totam litterarum antiquarum memoriam persequi aut non licebat aut non libebat, ita ut satis haberent quae ex ipsis scriptoris verbis aut aliis nonnullis testimoniis forte fortuna oblatis probabiliter colligi viderentur proposuisse. Eorum vero, qui libros de antiquitatibus componebant, mentes in interpretandis scriptorum testimoniis haud raro ipsis editorum annotationibus ita occupatae erant, ut a vero aberrarent. Atque id, si quid video, omnibus accidit, qui usque ad hoc tempus disputaverunt de illo Thucydidis loco (I, 25, 4), quo is verba facit de neglectis a Corcyraeorum civitate pietatis erga Corinthios officiis. Qui locus sic se habet: *Κορίνθιοι δὲ κατά τε τὸ δίκαιον ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν νομίζοντες οὐχ ἧσσον ἑαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἢ Κερκυραίων, ἅμα δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, ὅτι αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι. οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα οὔτε Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν ὥσπερ αἱ ἄλλαι ἀποικίαι, περιφρονοῦντες δὲ αὐτοὺς καὶ χρημάτων δυνάμει ὄντες κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὁμοῖα τοῖς Ἑλλήνων πλουσιωτάτοις καὶ τῇ ἐς πόλεμον παρασκευῇ δυνατώτεροι, ναυτικῷ δὲ καὶ πολὺ προέχειν ἔστιν ὅτε ἐπαιρόμενοι.* Hic qualis indicaretur necessitudo, qua homines Corinthii cum sacris coloniarum coniuncti fuissent, iam antiquo tempore quaesitum esse apparet ex adnotationibus duabus, quas scholiastae ad hos versus ascripserunt. Ex quibus altera his verbis concepta est: *Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν] ἔθος γὰρ ἦν ἀρχιερέας ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν.* Qui haec scripsit, eum verba scriptoris manifestum est sic intellexisse, ut is hominis Corinthii opera in sacris faciendis usos

Corcyraeos indicaret. Quam sententiam etiam recentioris aetatis homines nonnulli sic secuti sunt, ut sane non crederent scholiastae, de summis coloniae sacerdotibus Corintho accersitis hic dici, sed tamen de caerimoniis quibusdam sacrificiorum a legatis aliisve qui tum Corcyrae versabantur hominibus Corinthiis perfectis verba scriptoris interpretarentur.[1]) Sed haec opinio, ut iam Poppo in editione maiore observavit, plane refellitur inaudito casus dativi instrumentalis usu, qui nullo modo de homine usurpari poterat, cuius ope sollemnia sacrificii perficerentur. Quare scholiasta ille quin perperam sua de sacrorum antistite adnotatione ad hunc quidem locum illustrandum usus sit, non poterit dubitari. At restat quaestio, quae etsi a nostro consilio paullo alienior est, tamen paucis videtur tangenda esse, utrum illud de summis coloniarum sacerdotibus ex antiqua patria repetitis per se verum sit, an ab ipso interprete huius loci Thucydidei illustrandi causa pro arbitrio confictum. Dissenserunt de hac re recentiores; nam C. F. Hermannus quidem (Griech. Staatsalterthümer § 74 not. 6) scholiastae credidit; paullo cautius Schoemannus loquitur, cum dicit exempla eius consuetudinis inveniri, ut summi magistratus, nonnumquam sacerdotes quoque, a colonis ex metropoli arcessantur, et inter alia eius rei testimonia scholion Thucydideum ascribit.[2]) Sed in hac disputatione sibi ipsi non satis constare videtur. Etenim de sacerdotibus nihil usquam legimus nisi in hoc de quo nunc disputamus scholio; at hic non dicitur de singularibus quibusdam exemplis, sed definite enuntiatur, eiusmodi consuetudinem apud Graecos obtinuisse. Denique G. Gilbertus omnino totam rem a scholiasta excogitatam arbitratur.[3]) Atque hunc quidem verum vidisse statim apparebit, simulatque accuratius inquisiverimus, quinam tandem fuerint illi sacrorum antistites, de quibus scholiasta verba facit. Qua in re primum id memorabile videri debet, ipsam vocem ἀρχιερεύς vel ἀρχιέρεως[4]) apud antiquiores scriptores nusquam inveniri nisi perpaucis locis

1) Cf. Schoemann, Griechische Alterthümer II p. 92: *Wohl aber war es Regel, dass die Colonien zu den Hauptfesten der Mutterstadt Theorien sendeten, und ebenso dass, wenn ihren eigenen Festopfern Gesandte (oder überhaupt Bürger) der Mutterstadt beiwohnten, diese dabei eine ausgezeichnete Stelle einnahmen und bei den vorbereitenden Gebräuchen vor Anderen beteiligt waren.* Sed in adnotatione Schoemannus, ut erat homo cautissimi iudicii eximiaque Graeci sermonis cognitione imbutus, se de hac interpretatione dubitare indicat cum dicit: „Thuc. I, 25, *dessen Ausdruck nicht ganz deutlich ist.*“

2) Griechische Alterthümer I p. 91: *Was das Verhältniss zur Mutterstadt betrifft, so finden sich Beispiele, dass die Colonien dieser gewisse Abgaben zu entrichten hatten, sowie dass ihnen die obersten Beamten, auch Priester, von hier aus geschickt wurden. Als Regel indessen darf dies nicht angesehen werden.*

3) Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer II p. 402 not. 1: „*Das Scholion ἔθος γὰρ ἦν ἀρχιερέας ἐκ τῆς μητροπόλεως λαβεῖν ist ein Autoschediasma.*“

4) Nescio an haec sola vocis forma antiquiori aetati tribuenda, volgaris illa Romanorum tempori relinquenda sit. Nam apud Platonem quidem codex antiquissimus Parisinus *A*, a quo uno totam Legum memoriam pendere constat (cf. A. Jordan Hermae XII p. 161 sqq.) accusativum ἀρχιερέων (l. ἀρχιέρεων) habet, qui praeterea confirmatur testimonio lexici Bekkeriani Anecd. p. 449, 31. Apud Herodotum sane illa forma non exstat nisi uno loco II, 37, atque hic quoque in altera modo ex duabus codicum familiis (ABC), cum R ἀρχιερεύς, P ἀρχιρεύς exhibeat. Sed qui reputaverit quam inaudita recentioribus haec sit, quam trita inferioris aetatis usu altera illa, vix dubitabit ubique ἀρχιέρεως reponere. De origine vero huius formae quaerentibus inprimis tenendum est, apud Herodotum et Platonem ἀρχιέρεων semper esse τὸν ἄρχοντα τῶν ἱερέων, neque, ut Romanorum aetate, in universum sacerdotem quendam maioris dignitatis significare, sed eum qui aliis sacerdotibus praesit, collegii principem. Quare plane ut ἀρχένεως, natum ex ἀρχέ-νηϝ-ο-ς, navis praefectum significat, sic ἀρχιέρεως, quod praefectum sacerdotum indicat, ex ἀρχ-ιέρηϝ-ο-ς ortum statuendum est. Similiter alia quoque vocabula in -εύς cadentia ubi alteram nominis compositi partem efficiunt, non immutata manent, sed derivationis causa vocalem -ο assumunt, ut ab ἑκτεύς descendit ἡμιέκτεων pro ἡμι-ἑκτηϝ-ο-ν. Qua observatione refutari mihi videntur quae F. Bechtel Nachrichten von der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften 1886 p. 378 contra sententiam a me Syll. I. Gr. 376 not. 4 prolatam disputavit.

Herodoti (II, 37. 142. 143. 151) et Platonis (Legg. XII 947A), sed a neutro ex his de ullius Graecae civitatis institutis usurpari, immo Herodotum quidem de Aegyptiorum sacerdotibus verba facere, Platonem vero novum quendam sacrorum Solis et Apollinis ordinem cum rei publicae administratione coniunctissimum suadere, plane abhorrentem illum quidem ab eis quae tum apud Graecos in usu erant institutis. Quid quod Herodotus manifesto testatur, eiusmodi munus a Graecorum moribus alienum fuisse? Nam quum dicit II, 37 *ἱρᾶται δὲ οὐκ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν ἀλλὰ πολλοί, τῶν εἷς ἐστι ἀρχιέρεως*, sine dubio quae negantur de Aegyptiis, ea ad Graecorum ritus caerimoniasque referenda sunt. Nulla igitur fuerunt tum temporis in Graecia sacerdotum collegia[1]), nulli horum collegiorum praesides, nemo ex omnibus omnium deorum sacerdotibus ita reliquis praefectus erat, ut iure summus totius civitatis sacrorum antistes vocari posset. Sane consentaneum est, quo sanctiora atque graviora dei cuiusque sacra erant, eo maiorem etiam sacerdotis dignitatem fuisse; quo nomine Athenis sacerdos Minervae Poliadis, Cereris Eleusiniae hierophanta et daduchus semper eximium honoris atque auctoritatis locum inter sacerdotes tenuerunt, sed tamen nemo ex his *ἀρχιερεύς* vocari poterat aut unquam vocatus est, neque ulla est causa, cur apud reliquos Graecos rem aliter se habuisse statuamus, atque Athenis. Immo etsi haud exiguum testimoniorum de eorum sacris numerum cum apud scriptores tum in titulis tenemus, tamen nusquam ante aetatem Macedonum *ἀρχιερέως* vocabulum in eis comparet. At principatus Romanorum temporibus nihil hoc nomine frequentius est, ut scholiastam, quum omnino ignoraret quid Thucydidis verba sibi vellent et probabilem explicationem circumspiceret, in eiusmodi cogitationem incidisse non sit mirandum.

Sed ut redeat disputatio unde deflexit, iam missam faciendam esse apparet eorum opinionem, qui de opera nescio qua ab hominibus Corinthiis in sacrificiis Corcyraeorum navata Thucydidis verba intellegunt. Iam alia patet interpretationis via, ut e contrario illis a Corcyraeis aliquid honoris praemiique tributum statuamus. Quam cum dativi casus propria vi optime convenire non est quod dicam; sed restat gravissima difficultas definiendi, quidnam potissimum eis datum sit. Quam commodissime sane expedire sibi videbatur alter ille scholiasta quum interpretaretur *προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν*] *διδόντες τὰς καταρχάς*. At num ipse huic voci ullam certam ac definitam notionem subiecerit, valde dubito. Utique lectores quid ea sibi vellet docere oblitus est. Quare ad recentiorum hominum doctorum interpretamenta confugiendum est, ex quibus aetatis quidem ordine primum locum sibi vindicat Heilmannus, cuius rationem secuti sunt Poppo et Krueger. Hi provocant ad illam Graecorum sacrificiorum descriptionem, qua Dionysius Halicarnassensis Ant. R. VII, 72 demonstrare conatur, omnes in hoc toto genere caerimonias Romanos a Graecis mutuatos esse[2]). Hic postquam de victima caesa retulit, sic pergit: *καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους, ἃς ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν· οἱ δ' ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέντες ὑφῆπτον καὶ προσέσπενδον*

1) Non dico nulla omnino fuisse collegia quorum certae partes essent in sacris ritibus perficiendis. Sed qui proprie sacerdotes (*ἱερεῖς*) vocantur, ei singulorum deorum sunt plerumque singuli, raro bini aut paullo plures, ut Eleusine *ἱεροφάντης, δᾳδοῦχος, κῆρυξ, ὁ ἐπὶ βωμῷ*, qui tamen neque collegium efficiunt neque praefectum habent.

2) Heilmannus primus quidem attulit Dionysii locum, sed inter se confudit interpretationem ex eo haustam et illam scholiastae prioris, quae est de antistite sacrorum Corintho misso. Ne Poppo quidem satis perspicue loquitur, sed Krueger breviter et distincte, ut solet, eam quam supra rettuli interpretationen proposuit.

οἶνον κατὰ τῶν ἁγνιζομένων. Eandem plane caerimoniam, quae hic verbis *ἀπαρχὰς — προσέφερον τοῖς θύουσιν* indicaretur, illi apud Thucydidem verbis *προκατάρχεσθαι ἀνδρὶ Κορινθίῳ* significari sumpserunt ita, ut praepositione *πρό* demonstraretur, Corinthiis qui forte adessent honoris causa prius quam ipsis qui sacrificarent coloniae civibus illa exta a sacrorum ministris tradita esse. At haec tota ratio, ut est ceteroquin haud absurde excogitata, sic manifesto pugnat cum vocis *κατάρχεσθαι* vi ac notione; de qua quum infra accuratius disputandum sit, hic verbo indicasse sufficiet, eam ubicunque de sacrorum ritibus usurpetur semper ad ea referri quae absolvi necesse est priusquam victima caedatur. Causa erroris sine dubio repetenda est a voce *ἀπαρχάς* a Dionysio usurpata; nam gravissimum discrimen, quod inter verborum *κατάρχεσθαι* et *ἀπάρχεσθαι* in sacris usum intercedit, cum alibi haud raro neglegi infra videbimus, tum ab eius quam nunc tractamus sententiae defensoribus non recte perspectum esse Kruegeri adnotatio documento est.

Quod cum ita sit, multo propius ad verum accedere quispiam existimaverit eam interpretationem, qua scriptoris verba ad ipsa illa sacrificii initia referuntur, quorum proprium ac sollemne est verbum *κατάρχεσθαι.* Ac sane hoc certe nomine illi Heilmanni Kruegerique sententiae praeferenda est ea quam Ioannes Classen in commentario suo bonae frugis plenissimo proposuit. Qui ab illo scholiastae *διδόναι τὰς καταρχάς* profectus hoc nomine designari existimat capillos desectos a fronte victimae, qui omnibus qui sacrificio interessent distribui consuevissent; eius rei igitur in coloniis Corinthiorum honoris causa initium fieri solitum esse a Corinthiis qui forte adessent. Sed haec quoque opinio magnis implicatur difficultatibus. Etenim primum quidem vocabula *προκατάρχεσθαί τινι* hanc significationem habere posse nequaquam demonstravit Classenus, neque omnino id demonstrari potest; immo et propter verbum et propter dativum illam vim in eis inesse praefracte negandum est. Ac verbum *κατάρχεσθαι* quidem iam supra dixi frequenter confusum esse cum *ἀπάρχεσθαι*, cum tamen discrimen manifestum sit. Etenim illud ordiendi, hoc vero delibandi notionem habere in universum quidem non fugit homines doctos; neque tamen id satis accurate perspexerunt aut satis constanter tenuerunt, quod certissimum est, in vocabulo *κατάρχεσθαι* nullam omnino inesse partis alicuius demendae aut tollendae notionem. Cuius erroris ne Philippum Buttmannum quidem, hominem ceteroquin de notionibus vocabulorum subtiliter definiendis distinguendisque optime meritum, plane expertem fuisse docent eius verba Lexilogi I p. 102: *Was nun den Ausdruck selbst betrifft, so ist ἄρχεσθαι, κατάρχεσθαι ein gottesdienstliches Wort, das bei heiligen Handlungen statt anderer einfacher Wörter, deren Sinn im Zusammenhange liegt, stehen kann, um den Begriff des heiligen Anfangs, oder der Weihe, damit zu verbinden: wie Od. γ 445 beim Anfange des Opfers: Νέστωρ χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο, wo es für verrichten steht. Ganz eigentlich aber steht es für wegnehmen von einem Ganzen, einem Vorrath als Erstling oder zum Zweck einer Weihe.* Vides errorem inde natum esse, quod *ἄρχεσθαι* et *κατάρχεσθαι* plane perinde habenda existimat, quum tamen illa quam propriam esse opinabatur primitias delibandi notio apud Homerum nonnumquam in simplici voce *ἄρχεσθαι*, apud omnes omnium aetatum scriptores perfrequenter in *ἀπάρχεσθαι* insit, sed nullum unum exemplum in litteris Graecis reperiatur verbi *κατάρχεσθαι* hac vi usurpati. Immo id sive de sacrificio sive de qualibet alia re dicitur, semper simplicem initii faciendi notionem habet. Sane certas quasdam caerimonias significat, sed nulla alia de causa, quam quia ab his certis ritibus Graecorum more uniuscuiusque sacrificii initium faciendum erat. Comprehenduntur igitur ea voce, ut iam dixi, omnia quae necessario perpetranda

erant, priusquam hostia ferro percuteretur. Primum igitur victima ad aram adducta aqua lustrali aspergebatur (*χέρνιψ*), deinde hordeum eius capiti infundebatur (*οὐλοχύται*), tum de fronte pili desecabantur, denique precationis carmine pronuntiato a deo petebatur, ut sacrificium benigno animo acciperet (*κατευχή*).[1]) Has omnes res aeque contineri vocabulorum *καταρχή*, *κατάρχεσθαι* significatione facile inde intellegitur, quod modo haec, modo illa reliquis omissis eo nomine indicatur. Iam in Buttmanni adnotatione, quam supra attuli, commemoratur Homericum *χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο* (*γ*, 445). Porro Iphigenia Euripidea de suo in immolandis peregrinis negotio initio quidem fabulae (Iph. Taur. 39 sq.) sic loquitur:

ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ,
κατάρχομαι μὲν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει.

Deinde vero (v. 609 sqq.) quum Orestes interrogavisset, num ipsa gladio se interfectura esset, respondet:

οὔκ, ἀλλὰ χαίτην ἀμφὶ σὴν χερνίψομαι.

Hic manifesto *κατάρχεσθαι* et *χερνίπτεσθαι* plane promiscue de eadem re usurpari apparet; neque aliter res se habet in illa somnii narratione quam habes v. 53 sqq.:

κἀγὼ (sc. *ἐδόκουν*) *τέχνην τήνδ' ἣν ἔχω ξενοκτόνον*
τιμῶσ' ὑδραίνειν αὐτὸν ὡς θανούμενον
κλαίουσα· τοὔναρ δ' ὧδε συμβάλλω τόδε·
τέθνηκ' Ὀρέστης, οὗ κατηρξάμην ἐγώ·
στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες,
θνήσκουσι δ' οὓς ἂν χέρνιβες βάλωσ' ἐμαί.

Quare quod eiusdem fabulae v. 236. 237 legitur:

χέρνιβας δὲ καὶ κατάργματα
οὐκ ἂν φθάνοις ἂν εὐτρεπῆ ποιουμένη

haud absurde quispiam ita interpretetur, ut *χέρνιβες* et *κατάργματα* duo eiusdem rei vocabula sint, sed nescio an praestet figuram item Graecis familiarissimam statuere, ut *κατάργματα* totum genus intellegamus, quo praeter alia etiam *χερνίβων* notio contineatur, ita ut pedestri oratione accuratius *τὰς χέρνιβας καὶ τὰ λοιπὰ κατάργματα* dicendum fuerit. Sic de *οὐλοχύταις* potissimum cogitandum erit, quae Homeri exemplo etiam a tragicis frequenter cum illis coniunguntur. Cf. Eurip. Iph. Aulid. 954:

πικροὺς δὲ προχύτας χέρνιβάς τ' ἐνάρξεται Κάλχας ὁ μάντις.

Certe utramque rem vocis *κατάρχεσθαι* significatione contineri satis superque demonstratum est. Sed ne precationes sollemnes quidem, quae a sacerdote pronuntiabantur priusquam victima caederetur, ab illius vocis notione excluduntur. Certe quum Iocasta Euripidis Phoenissarum v. 572 sqq. indignabunda Polynicem filium increpat:

'φέρ' ἢν ἕλῃς γῆν τήνδ', ὃ μὴ τύχοι ποτέ,
πρὸς θεῶν, τρόπαια πῶς ἀναστήσεις Διί;
πῶς δ' αὖ κατάρξῃ θυμάτων ἑλὼν πάτραν
καὶ σκῦλα γράψεις πῶς ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς;'

haec omnia eo spectare manifestum est, quod Polynices iis ipsis verbis, quibus deis ex more

---

1) Cf. Dionys. Halic. Ant. VII, 72: *χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι, καὶ Δημητρίους καρποὺς ἐπιρράναντες αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τάτε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον.* Vides ex quattuor rebus, quae fiebant priusquam victima necaretur, tres modo commemorari, quartam, quippe quae omnium minimi momenti esse videretur, silentio praeteriri.

gratias acturus est, rem sceleris et infamiae plenam, bellum contra patriam gestum, confiteri necesse est. Quare ut in tropaei et spoliorum mentione de inscriptione potissimum, ita in victimis immolandis de precationis carmine, quod praecipue causam sacrificii deo oblati continere debebat, cogitandum est.[1]) Iam ut aquae aspersionem, hordei infusionem, precum pronuntiationem, sic illam quoque pilos frontis abscidendi caerimoniam vocabuli *κατάρχεσθαι* usu contineri consentaneum est, neque mirum esset, si quando in sacrificio describendo brevitatis causa ut alias *χέρνιψ* aut *οὐλοχύται*, haec sola reliquarum instar illo verbo indicaretur, etsi nullum eiusmodi locum novi praeter Hesychii glossam, *κατάρξασθαι τοῦ ἱερείου· τῶν τριχῶν ἀποσπάσαι*, cuius de integritate dubitaverim, quia *ἀποσπᾶν* vix recte usurpatur de eo qui ferro aliquid amputat. Alcestidis vero Euripideae versus 73 sqq., ubi Thanatos haec pronuntiat:

ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅιδου δόμον,
στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·
ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν
ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα

alia de causa ab hac quaestione alieni sunt habendi. Neque enim hic de vero sacrificio dicitur, sed imago poëtica subest eadem qua versu 24 Apollo Thanatum *ἱερῆ θανόντων* appellat. Atqui in hac translatione crinis ex Alcestidis capite sublatus omnibus illis caerimoniis, quibus homines sacrificia auspicari solebant, respondet. Eadem res tangitur Vergilii versibus Aen. IV, 698 sq:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
abstulerat, Stygioque caput damnaverat orco

quos Monkius ad illum Alcestidis locum illustrandum attulit; hic tamen poëta ne verbis quidem a sacrificiorum ritu repetitis utitur. Sed utut hoc se habet, nullo modo demonstrari potest, vocem *κατάρχεσθαι* magis proprie in illum crinem tollendi morem cadere, quam in quamlibet aliam ex eis caerimoniis a quibus sacrificium initium capit[2]). Atqui Thucydidis non intererat totum sacrificium adumbrare gravissimis eius ritibus breviter enumeratis, sed ei, si omnino verba sua a lectoribus intellegi volebat, haec potissimum res proprie et accurate significanda fuit. Quare ei ne licuit quidem vocabulo tam ambiguo uti.

Sed ut iam largiamur, quod sane non concedimus, potuisse scriptorem sine obscuritatis crimine illa voce de tollendis crinibus uti, tamen dativus *Κορινθίῳ ἀνδρί* ferri non posset. Dantur sane crines ex Classeni interpretatione eis qui adsunt; sed haec dandi vis nentiquam ne ex illius quidem sententia inest in vocabulo *προκατάρχεσθαι*. Absciduntur vero non hospitum aut sacrificantium causa, sed dei, cui et hac et reliquis quas commemoravi caerimoniis victima traditur et quasi consecratur, id quod cum ex multis aliis scriptorum

---

1) Cogitaveris de mutando *κατάρξῃ* in *κατεύξῃ*, praesertim collato alio Euripidis loco, qui similem indignantis interrogationem habet, Iphig. Aul. 1187. 1188:

θύσεις δὲ δὴ παῖδ'· ἔνθα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;
τί σοι κατεύξῃ τἀγαθὸν σφάζων τέκνον;

At cum preces non minus ad auspicandum sacrificium pertineant, quam reliquae caerimoniae, vocis latius patentis *κατάρχεσθαι* usus nullam habet offensionem.

2) Recte igitur Monkius ad Euripidis Alcest. v. 74 '*κατάρχεσθαι τοῦ ἱερείου, vel simpliciter κατάρχεσθαι, erat auspicari sacra.*' Sed quum pergit '*quod apud veteres Graecos fiebat abscindendo pilos a fronte victimae*' manifesto in eodem errore versatur, quem supra refutavi. Apud Homerum de hac re, atque de hac quidem sola, usurpatur verbum *ἀπάρχεσθαι* (*T*, 254. *γ*, 446. *ξ*, 423).

antiquorum testimoniis apparet tum luculentissime demonstratur Alcestidis Euripideae loco supra allato. Ubicunque igitur vocabulo *κατάρχεσθαι* dativus adiungitur, is ad deum spectat, cui victima immolatur, non ad homines, quibus pili desecti distribuuntur. Cf. Eurip. Heraclid. 600 sqq.:

καὶ χαῖρε. δυσφημεῖν γὰρ ἅζομαι θεάν,
ἧ σὸν κατῆρκται σῶμα, Δήμητρος κόρην.

Quoniam id quod supra dixi, neque verbi ipsius neque dativi casus usum cum Classeni interpretatione conciliari posse, satis firmis argumentis comprobasse mihi videor, iam inquirendum est, num de ipso more capillos de capite victimae sublatos eis qui adsunt distribuendi recte indicaverit homo doctissimus. Quae omnis opinio loco Iliadis Homericae *Γ* 273 sqq. nititur, ubi sane haec leguntur

ἀρνέων ἐκ κεφαλῶν τάμνε τρίχας. αὐτὰρ ἔπειτα
κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

At non in omnibus sacris hunc morem sollemnem fuisse ipse Homerus testis est, qui *γ* 443 sqq. aliud sacrificium sic describit:

γέρων δ' ἱππηλάτα Νέστωρ
χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο, πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
εὔχετ' ἀπαρχόμενος, κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.

Maioris etiam momenti est, quod post Homerum nullum etiam illius instituti exemplum invenitur in litteris antiquis, cum pilorum a sacerdote in arae flammam coniectorum aliquot locis mentio fiat, veluti Euripidis Electrae 810

ἐκ κανοῦ δ' ἑλὼν
Αἴγισθος ὀρθὴν σφαγίδα, μοσχίαν τρίχα
τεμών, ἐφ' ἁγνὸν πῦρ ἔθηκε δεξιᾷ

et Vergilii Aeneidis VI, 243

Et summas carpens media inter cornua saetas
ignibus imposuit sacris, libamina prima.

Quare qui de volgari aetatis Thucydideae usu coniecturam faciat ex illo uno Iliadis loco, vereor ne audacius quam prudentius iudicet, praesertim cum causa cur in illo sacrificio capilli desecti non ut alias comburantur, nequaquam lateat. Namque ut omnino eorum sacrorum, quae iuris iurandi confirmandi causa fiunt, caerimoniae multis nominibus differunt a reliquis, sic apparet ideo partem hostiae, pilos dico, manibus tenere heroas, quo graviore iuris iurandi religione se obstringant[1]). Thucydidem vero de hoc sacrificiorum genere non cogitasse, non est quod accuratiore disputatione exponatur.

Quoniam nullam ex eis quae adhuc propositae sunt interpretationibus teneri posse demonstravimus[2]), iam de integro tota quaestio resumenda videtur, si forte contingat ut alia via omnes illas difficultates expediamus. Qua in re a sacrorum publicorum apud Graecos vi atque usu proficiscendum est. Quaecunque igitur templa delubraque totius civitatis communia erant, in eis non modo per festorum dierum occasiones populi nomine stata sacra

---

1) In altero eiusdem generis sacrificio, quod *Τ*, 253 commemoratur, de abscisis modo pilis mentio inicitur, quid deinde eis factum sit, tacetur.

2) Nam Goelleri quidem opinionem, qui intolerabili hyperbato *Κορινθίῳ ἀνδρὶ* non a *προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν*, sed a *διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα* pendere vult, ut inter se respondeant *οὔτε ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς — οὔτε προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν*, verbo tetigisse satis erit.

fiebant, sed item singulis civibus licebat privatim in illis publicis fanis qualibet de causa deis victimas caedere. Civibus licuisse dico, nam peregrinis antiquissimo quidem tempore ut nullam omnino necessitudinem intercessisse cum republica, sic ne ad sacra quidem civitatis communia aditum patuisse consentaneum est. Atqui apud Graecos cum in omnibus vitae institutis multas passim remotissimae antiquitatis reliquias usque ad recentiora tempora permansisse constat, tum omnium frequentissime in eis quae ad cultum deorum spectant. Itaque in templis quibusdam illam severam pristinae aetatis legem religiose conservatam esse testatur Herodotus VI, 81, ubi de Cleomene Anaxandridae f. Lacedaemoniorum rege haec narrat: *μετὰ δὲ ταῦτα ὁ Κλεομένης τὴν μὲν πλέω στρατιὴν ἀπῆκε ἀπιέναι ἐς Σπάρτην, χιλίους δὲ αὐτὸς λαβὼν τοὺς ἀριστέας ἤιε ἐς τὸ Ἡραῖον θύσων· βουλόμενον δὲ αὐτὸν θύειν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ ὁ ἱερεὺς ἀπηγόρευε, φὰς οὐκ ὅσιον εἶναι ξείνῳ αὐτόθι θύειν.* Idem vero, quod hic de Heraeo Argivorum, de eiusdem deae templo Arcesinae Amorgi sito docet titulus editus Mittheilungen des arch. Instituts in Athen I, p. 342 n. 10b (Syll. I. G. 358) v. 3 sqq.: *μὴ ἐξεῖναι κα[τάρ]|χεσθαι*[1]) *εἰς τὸ Ἡραῖ[ον] ξένῳ μηδενί, ἐπιμελ[εῖ|σ]θαι δὲ τὸν νεωκό[ρο]ν καὶ ἐξείργειν.* Neque vero ex his paucis exemplis recte collegeris, inferiore aetate plane singulare ac paene inauditum hoc fuisse. Immo multis delubris eandem scriptam fuisse legem inde veri simile fit, quod apud poëtas peregrini ad indigenarum sacra accedentes dubitanter interrogant, num fas sit, illis interesse, veluti Orestes ille Euripideus Electrae v. 793:

εἰ δὲ ξένους ἀστοῖσι συνθύειν χρεών,
Αἴγισθ', ἕτοιμα κοὐκ ἀπαρνούμεσθ', ἄναξ.

Quid quod vel eiusdem civitatis pagos a certis quidem delubris eadem severitate suos invicem paganos prohibuisse iure ex decreto Piraeensium de honoribus Callidamantis Callimedontis f. Chollidae (C. I. G. 101. C. I. A. II., 589. Syll. I. G. 296) collegit Lobeckius Aglaophami p. 272. Leguntur enim illic inde a versu duodecimo haec: *καὶ ὅταν θύωσι Πειραιεῖς ἐν τοῖς κοιν|οῖς ἱεροῖς, νέμειν καὶ Καλλιδάμαντι με[ρίδα, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις Πειραιεῦ|σιν, καὶ συνεστιᾶσθαι Καλλιδάμαντα με|τὰ Πειραιέων ἐν ἅπασι τοῖς ἱεροῖς, πλὴν | εἴ που αὐτοῖς Πειραιεῦσιν νόμιμόν ἐστιν εἰσιέναι, ἄλλῳ δὲ μή.*[2])

Sed ut eiusmodi exempla non ita rara fuisse verisimile est, ita haec tamen omnia non sunt nisi vestigia quaedam antiquioris moris, quae recentioris temporis humanitas non potuerat omnia extinguere. Nam plerisque quidem delubris Graecorum ne peregrinis quidem interdictum fuisse ea aetate, cuius plenior et accuratior memoria ad nos pervenit, multa sunt quae doceant. Quam mutationem sensim ac per gradus irrepsisse cum per se probabile sit, tum certis vestigiis indicatur. Etenim haud infrequens est in litteris Graecis mentio templorum, a quibus certae quaedam nationis Graecae gentes arcebantur, ut appareat, reliquis peregrinis, dummodo Graeci essent, aditum patuisse. Composita haec habes apud Lobeckium p. 272,

---

1) Sumpsi hic *κατάρχεσθαι* trita sermonis figura pro *θύειν* dictum esse, partem pro toto, atque eam quidem partem cuius in sacrificiorum religione longe maximum momentum fuisse satis constat. Dixerit quispiam contra, proprie vocem accipiendam esse, neque omnino peregrinorum sacrificia arceri a Iunonis fano, sed eam modo cautionem adhiberi, de qua statim fusius exponetur, ut civium opera in illis ritibus quibus sacra auspicanda sint utantur. Sed id non credibile est tam obscure per negationem indicaturum fuisse legislatorem; immo si id voluisset, sine dubio definite enuntiavisset similibus verbis usus ac quae sunt in titulo Milesio de quo infra dicetur.

2) Quod et hic et infra locis utor, ubi non de sacrificiis, sed de introitu in templum dicitur, nemo opinor mihi vitio vertet. Ceterum miro casu apud Lobeckium ea tituli verba, quibus tota eius argumentatio nititur, omissa sunt. Quod tamen ipse emendavit praef. p. XX.

mihi unum attulisse satis est illud, quod Cleomeni intranti cellam Minervae in arce Athenarum Herodotus V, 72 sacerdotem dixisse refert, *οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριεῦσι παριέναι ἐνθαῦτα.* Quod quum simplicissimum sit, tamen mirum in modum male acceptum est ab editoribus. Ex quibus Steinius haec ascripsit: *Δωριεῦσι, überhaupt aber keinem ausser den Priestern;* hoc deinde notissimo illo Caesaris loco (b. civ. III, 105), qui est de *ἀδύτων* vi ac natura, confirmatur. Nequeo satis mirari, eiusmodi adnotationem per quattuor editiones repetitam esse sine mutatione, cum tamen luce clarius sit ea totam huius narratiunculae vim et rationem everti. Nam si nemini praeter sacerdotem introire licebat, quid erat quod illa Cleomenem propterea vetaret accedere, quia Doriensis esset? Ille vero quomodo conatum suum purgare sibi videri poterat respondendo, se nequaquam Doriensem esse, sed Achaeum? Apparet igitur, et Atheniensibus et reliquis omnibus Graecis praeter Dorienses nequaquam illo sacro loco interdictum fuisse. At id pugnare visum est hominibus doctis cum eis quae paullo ante scripta sunt *ἤιε ἐς τὸ ἄδυτον τῆς θεοῦ.* Quam difficultatem Baehrius sic expedire conatus est, ut illic quidem cellam designari statueret, in quam omnino nemini praeter sacerdotem intrare licuisset, posteriore vero loco reliquum templum, quo Dorienses modo prohibiti essent. At etsi hic non tam inconsiderate egit, quam Steinius, tamen ne ipse quidem verum vidit. Intraverat iam Cleomenes in templum, iam aream, gradus, porticum, pronaum festinanti pede percurrerat, ac iam in eo erat, ut ipsius sacrarii limini pedem imponeret, cum sacerdos ex solio surgens ei se obtulit severis verbis eius audaciam coërcens. Quae verba *πάλιν χώρεε μηδὲ ἔσιθι ἐς τὸ ἱρόν. οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριεῦσι παριέναι ἐνθαῦτα* nullo modo in eam quam descripsi rerum condicionem quadrarent, si *ἱρόν* cum Baehrio totum templum intellegeremus. Sic enim non interdicendum erat Cleomeni, ne introiret, sed imperandum potius ut quam citissime rursus excederet loco sacrato. Quare de ipsa cella illa de introitu Doriensibus non permisso intellegenda sunt. Neque vero *ἄδυτον* vocari eandem cellam mirati essent homines docti, si huius vocis usum accurate cognitum habuissent. Nam origine quidem vocabuli commendatur illa Caesaris definitio "*quo praeter sacerdotes adire fas non est*" sed sermonis consuetudo hos terminos iam antiquo tempore migravit ita ut cella templi, intima et sanctissima totius aedificii pars quae simulacrum dei habebat, *ἄδυτον* vocaretur sive sacerdoti uni reservata erat sive omnibus patebat. Cuius usus luculentissima testimonia exhibent commentarii sacerdotum Aesculapii qui Epidauri aliquot abhinc annos eruti sunt. Illic enim identidem sacrarium dei *ἄβατον* et *ἄδυτον* vocatur in ipsa narratione de hominibus, qui valetudinis recuperandae causa eo descenderant. Non aliter in titulo edito *Ἐφημ. ἀρχ.* III, 1885 p. 65 n. 84 versu trigesimo legitur *εἰς ἄδυτον καταβὰς Ἀσκληπιοῦ* de oraculo Triccensi. Quare quin illo quoque Herodoti loco *ἄδυτον* latiore vi intellegendum sit non licebit dubitari.

Sed ad propositum redeo. Haud pauca vidimus fuisse delubra a quibus certe gentes quaedam peregrinae arcerentur; at plura etiam fuerunt, in quae quilibet homo Graecus admitteretur, nullo inter cives et peregrinos facto discrimine. Cuius generis insigne exemplum praebet fanum Amphiarai Oropium, cuius lex (*Ἐφ. ἀρχ. περ.* III, 1885 p. 93 n. 1. Hermae XXI p. 91. Bechtel, Inschriften des ionischen Dialektes p. 10 n. 18. Inscr. Graec. sept. 235) sane compluribus locis civium et peregrinorum (*ξένων καὶ δημοτέων*) mentionem facit, sed non ut alteros procul arceat, alteros admittat; immo id ipsum illis locis enuntiatur, omnes qui sacrum locum intrarent ibique sacrificarent perinde habendos esse. Vel augustissimum illud Cereris et Proserpinae templum Eleusinium solis quidem initiatis patuisse, initiari vero

omnibus Graecis aeque licuisse iampridem Lobeckii disputatione doctrinae et acuminis plena Aglaophami p. 14 sqq. demonstratum est.

Quod supra dixi, paullatim irrepsisse videri morem peregrinos quoque ad sacra in fanis publicis facienda admittendi, id eo quoque spectare videtur, ut eis initio non licuisse statuamus hoc iure uti, nisi si unus ex civibus pro eis suam auctoritatem interponeret. Quod si vitae civilis rationes, inprimis rem iudicialem, respexeris, certe non improbabile videbitur. Neque caremus testimoniis, inter quae principem locum tenet titulus Milesius quinto a Chr. saeculo, si modo de antiquitate scripturae fides habenda est editori, incisus, quem exhibuit O. Rayet Revue archéologique XXVIII (1874) p. 106 (Syll. I. G. 376); in eo v. 6 sq. haec leguntur: *ἢν ξένος ἱεροποιῇ τῷ Ἀπόλλωνι, προϊερᾶσθαι τῶ[ν] | ἀστῶν ὃν ἂν θέλῃ ὁ ξένος.* Quid sibi velit vox *προϊερᾶσθαι*, apparet: *ἱερᾶσθαι* enim proprie est sacerdotis munere fungi, hic vero non de publico et perpetuo sacerdotio dicitur, sed de homine privato qui in sacrificio aliquo easdem caerimonias perficit, quae in publicis sacris sacerdotis sunt. Hae vero eaedem sunt, quas verbo *κατάρχεσθαι* comprehendi supra demonstravi; nam quae postea sequuntur, nequaquam a sacerdote fieri necesse est. Iam videmus, licuisse Mileti cuilibet peregrino suam victimam ad aram Apollinis adducere, sed tum a cive Milesio aquam aspergendam, hordeum infundendum, pilos frontis amputandos et in ignem arae coniciendos, denique preces illius nomine atque mandato pronuntiandas fuisse, priusquam illi permitteretur ut victimam securi percuteret, exta deo offerret reliquaque quae ad sacra epulasque spectarent administraret. Hunc quoque morem in multis delubris usque ad inferiorem aetatem mansisse haud improbabile est; atque haud absurde conieceris, etiam ubi definite, ut in illa Milesiorum lege, cuilibet civi concedebatur ut hanc operam peregrino praestaret, tamen plerumque proxenos, quippe quorum officium ad eiusmodi auxilia peregrinis ferenda spectaret, hac de causa ab iis adiri solitos esse. Sed fuerunt etiam sacra, quae nulli civi pro peregrino auspicari licebat, nisi eius populi, unde ille oriundus erat, proxeno. Hoc ita se habuisse in eis victimis, quae Apollini Pythio immolandae erant antequam oraculum consuleretur, didicimus ex plebiscito Delphico apud B. Haussoullierum Bulletin de correspondance Hellénique V (1881) p. 398 n. 7 (Syll. Inscr. Gr. 323) v. 9 sqq.: *εἶμεν δὲ καὶ τὰν πόλιν τῶν Δελ[φῶν] | πρόξενον τᾶς πόλιος Σαρδιανῶν, καὶ ἐπειδὴ ἀξιοῖ Ματροφάνης ἀποδε[ῖξαι] | τὸ[ν] προθύσοντα διὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν πρόξενον Σαρδιανοῖς, οὐ δυναι[ῶν] ὄντων [αὐ] | τῶν πλείον[ο]ς χρόνον παραγενέ[σσ]ται εἰς τὸ μαντεῖον διὰ τὰς αἰτίας | [ἃ]ς ἀπελογίσατο Ματροφάνης, προθύειν αὐτῷ τὰν πόλιν.* Ad hoc ni fallor Delphorum institutum referenda est proxenorum mentio apud Euripidem Andromaches v. 1073 sqq.:

> *ἡμεῖς δὲ μῆλα, φυλλάδος Παρνησίας*
> *παιδεύματ᾽, οὐδέν τῶνδέ πω πεπυσμένοι*
> *λαβόντες ἦμεν ἐσχάραις τ᾽ ἐφέσταμεν*
> *σὺν προξένοισι μάντεσίν τε Πυθικοῖς.*

Neque dissimile veri est, eiusdem legis recordationem ansam dedisse translato verbi *προξενεῖν* usui apud eundem Helenae 146, ubi Teucer Helenam rogat:

> *ὧν δ᾽ οὕνεκ᾽ ἦλθον τούσδε βασιλείους δόμους,*
> *τὴν θεσπιῳδὸν Θεονόην χρῄζων ἰδεῖν,*
> *σὺ προξένησον, ὡς τύχω μαντευμάτων.*

Iam ad hunc de quo exposui morem peregrinos non admittendi ad sacra nisi procurante aliquo ex civibus etiam Thucydidis verba refero. Quam similia ea sint legis Milesiae

praecepto supra allato neminem fugiet. Verbum *προκατάρχεσθαι* non modo eandem vim habere, quam inesse debere vidimus in *προϊερᾶσθαι*, sed adeo paullo accuratius quam illud eam notionem exprimere manifestum est. Qui vero accedit dativus *ἀνδρὶ Κορινθίῳ*, is ut opinionem meam infringat tantum abest, ut contra vel maxime eam confirmare videatur. Nam quaecunque in eiusmodi sacrificio agit civis, peregrini causa fiunt, illi, non sibi et propitium dei animum precatur et reliqua omnia administrat. Quare ut apud Euripidem Androm. 1076 unus e Delphis a Neoptolemo quaerit *ὦ νεανία, τί σοι θεῷ κατευξώμεσθα*; ut e contrario in lege Oropia (Inscr. Gr. sept. 235) de eo qui nullo adiutore in sacris utitur haec scripta sunt: *καὶ τεῖ θυσίει αὐτὸν ἑαυτοῖ κατεύχεσθαι ἕκαστον*, ita recte omnino *προκατάρχεσθαι ἀνδρὶ Κορινθίῳ* intellegitur de eo qui hominis Corinthii sacrificium auspicatur. Sic igitur rem se habuisse existimo: In coloniis Corinthiorum multa passim erant templa, in quibus sacra facere peregrino non liceret nisi adiutore et quasi sacerdote cive. Sed quum in reliquis peregrinis uniuscuiusque civis arbitrio permissum esset, utrum hanc operam illis praestare vellet necne, pietati erga antiquam patriam id dabatur, ut nemini Corinthio eam gratiam petenti denegare liceret, sive id legibus cautum erat, sive pietatis sensus adeo vigebat, ut etiam sine lege tam inhumaniter cum illis agere unumquemque puderet. Sed longe aliter ac reliqui coloni se gesserunt Corcyraei. Hic quoque dubitari licet, utrum communi odio volgo Corinthiis morem gerere noluerint, an decreto populi interdictum sit, ne quisquam Corcyraeus Corinthii hominis sacra auspicaretur. Sed sive hoc sive illud statuere mavis, utique apparet, Corinthios, quum omnino quominus Corcyrae rem divinam facerent impedirentur, non immerito id colonis exprobrasse tanquam insigne ingrati animi laesaeque erga antiquam patriam pietatis documentum.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice *confessionem Augustanam* exponet d. Mercur. X—XI.

II. Privatim *1) epistolam ad Hebraeos* datam interpretabitur quater p. hebd. h. X—XI.
2) dogmatices partem alteram seu dogmaticen proprie dictam tradet quinquies p. hebd. h. IX—X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D.

I. Publice *orationem Domini montanam* explicabit d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim *1) evangelia tria priora* synoptice interpretatibur quinquies h. X—XI.
2) vitam D. n. I. Christi enarrabit quaternis p. hebd. scholis h. XII—I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Novi Testamenti et catecheticas* moderabitur.

ERICUS HAUPT, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *posteriorem Pauli ad Corinthios epistolam* interpretabitur d. Merc. h. XII, d. Sat. h. VIII et IX.

II. Privatim *1) evangelium Ioanneum* interpretabitur quinquies p. h. hor. IX.
2) theologiam Novi Testamenti tradet quinquies p. h. hor. VIII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad interpretationem N. T. spectantes* moderari perget d. Ven. h. VI. et VII.

HERMANNUS HERING, D.

I. Publice *de institutis caritatis christianae* disseret d. Sat. h. VIII—IX.

II. Privatim *theologiae practicae partem alteram* tradet quinquies p. hebd. h. VIII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes homileticas* et *proseminarium homileticum* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, D., Decanus.

I. Publice *1) hermeneuticen biblicam* docebit d. Mercurii et Saturni h. X.

II. Privatim *1) theologiam symbolicam sive polemicam* docebit quinquies p. h. h. XI.
2) epistulam Pauli ad Galatas scriptam interpretabitur d. Iov. et Veneris h. X.

III. Privatissime et gratis *societatis Novi Testamenti exercitationes* habebit d. Ven. h. VI.

AEMILIUS KAUTZSCH, D.

I. Publice *historiam textus Veteris Testamenti* exponet d. Merc. h. III—IV.

II. Privatim *1) Psalmos* interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. III—IV.
2) introductionem in Vetus Testamentum tradet quinquies p. hebd. h. IV—V.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderabitur.

FRIDERICUS LOOFS, D.

I. Publice *quae fuerint saeculo XVI⁰ doctrinae evangelicae initia et progressus* docebit binis p. hebd. scholis d. Sat. h. X—XI et XII—I.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem I* enarrabit senis per hebd. scholis, h. XI—XII.

2) historiam dogmatum adumbrabit quinis per hebd. scholis a d. Lun. usque ad d. Ven., h. XII—I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

b. Professorum extraordinariorum.

ALBERTUS EICHHORN, Lic.

I. Publice *historiam reformationis Angliae* semel per hebd. enarrabit d. Lun. h. XI.

II. Privatim *historiam ecclesiasticam medii aevi* tractabit quinis p. hebd. scholis h. XI.

GUILELMUS ROTHSTEIN, Lic. Dr.

I. Publice *de Ieremia propheta eiusque aetate* disseret, adiecta capitum selectorum cum Ieremiae tum aliorum eiusdem temporis scriptorum interpretatione, bis p. h. h. III—IV., d. Mart. et Ven.

II. Privatim *theologiam biblicam Veteris Testamenti* docebit quinquies p. h. h. IV—V.

c. Privatim docentium.

THEODORUS FOERSTER, D.

Gratis *historiam ecclesiae catholicae recentioris aetatis* enarrabit ter p. hebd. d. Lun. Merc. et Ven. h. IX—X.

HERMANNUS GUNKEL, Lic.

I. Privatim *Isaiam prophetam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. III—IV.

II. *exercitationes hebraicas* tironibus accommodatas moderari perget d. Mart. et Ven. h. VI—VII.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *historiam iurisprudentiae litterariam* enarrabit d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *1) pandectarum partem II., i. e. ius familiarum et hereditarium,* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.

2) doctrinam de concursu creditorum secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. et Sat. h. XII—I.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici hodierna* disseret bis p. hebd. horis definiendis.

II. Privatim *ius statuum Germanicorum publicum* docebit quater p. hebd. h. XII—I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr., Prorector.

I. Publice 1) *leges iuris cambialis Germanicas* interpretabitur d. Merc. h. X—XI.

2) in seminario iuridico *de iuris civilis codice primae praelectionis Germanico* disseret d. Sat. h. X—XI.

II. Privatim 1) *ius commerciale* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI.

2) *ius Borussicum privatum* tradet quinquies p. hebd. h. XI—XII.

AEMILIUS BRUNNENMEISTER, Dr.

I. Publice *historiam iuris criminalis Germanici* enarrabit d. Sat. h. IX—X.

II. Privatim 1) *ius criminale* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—X.

2) *exercitationes processus civilis* moderabitur d. Mart. et Ven. h. IV—V.

EDGARUS LOENING, Dr.

I. Publice *ius opificum et operariorum* docebit d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim 1) *ius ecclesiasticum cum catholicorum tum evangelicorum* docebit quaternis p. h. scholis h. V—VI.

2) *ius administrationis Borussicae* quaternis p. hebd. scholis tradet h. XII—I.

3) *exercitationes iuris administrationis* instituet d. Merc. h. VI—VIII.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *de Romanorum ordine iudiciorum privatorum* disseret d. Merc. h. XI—XII.

II. Privatim *processum civilem imperii Germanici* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV—V.

RUDOLFUS STAMMLER, Dr., Decanus.

I. Publice *introductionem generalem in scientiam iuris* tradet d. Ven. h. VI—VII.

II. Privatim 1) *ius pandectarum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X—XI, Lun. Merc. Iov. XI—XII.

2) *exercitationes ad pandectas pertinentes in usum tironum* instituet d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

EUGENIUS HUBER, Dr.

I. Publice *ius privatum secundum speculum Saxonicum* interpretabitur d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim 1) *ius Germanicum privatum* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI—XII.

2) *exercitationes iuris Germanici privati et iuris commercialis practicas* moderabitur d. Lun. h. V—VII.

b. Professoris ordinarii honorarii.

GUILELMUS A BRUENNECK, Dr.

I. Publice *historiam legum Borussicarum*, quae ad emendandam formam reipublicae et iuris annis 1807—1815 latae sunt, tradet d. Lun. h. V—VI.

II. Privatim *historiam iuris Germanici* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

c. Professoris extraordinarii.

MAXIMILIANUS RUEMELIN, Dr.

I. Publice *de fontibus iuris Romani* disseret d. Sat. h. X—XI.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* exponet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X—XI.

2) exercitationes exegeticas tironum scholarum suprascriptarum ordinem secutus instituet d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

3) exercitationes iuris romani exegeticas moderabitur d. Iov. h. V—VII.

d. Doctorum privatim docentium.

ADOLFUS ARNDT, Dr.

I. Privatim *de legibus imperii Germanici pro emendenda conditione operariorum* disseret bis horis def. niendis.

II. Gratis *de iure metallico* exponet d. Sat. IX—X.

THEODORUS NIEMEYER, Dr.

Privatim *1) historiam iuris Romani* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

2) exercitationes pandectarum practicas moderabitur d. Mart. h. V—VII.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.

I. Publice *artem formulas medicas scribendi* tradet d. Ven. et Sat. h. IX—X.

II. Privatim *pharmacologiam* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX—X.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *scholas policlinicas* habebit d. Mart. et Ven. h. V—VII.

II. Privatim *scholas clinicas* habebit quotidie h. IX—X$^{1}/_{2}$.

THEODORUS ACKERMANN, Dr.

I. Publice *de anatomia pathologica renum* disseret d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *1) anatomiam et histologiam pathologicam specialem* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV—V. *2) demonstrationes anatomico-pathologicas et exercitationes in secandis hominum cadaveribus* moderabitur d. Mart. Iov. Ven. h. III—IV.

III. Privatissime peritioribus *laborandi copiam in instituto pathologico* dabit quotidie h. IX—I et h. III—VII.

HERMANNUS WELCKER, Dr.

I. Publice *situm viscerum* demonstrabit semel p. hebd. h. def.

